

juniores firmarunt, an. 425, prout constat ex l. ult. cit. tit. *De spectaculis*, ibi: « Dominico et Natali, atque Epiphaniarum Christi, et Quinquagesimæ diebus... omni theatrorum atque circensium voluptate per universas urbes earundem populis denegata. »

(6. Unde modo non est cessandum Sabbato a labore, sed die Dominico, et aliter facientes excommunicantur, concil. Laodicens. cap. 29, ibi: « Quod non oporteat Christianos judaizare et otiosi in Sabbato, sed operari eos in eodem die. Præferentes autem in veneratione Dominicum diem (si vacare voluerint) ut Christiani hoc faciant. Quod si reperti fuerint judaizare, anathema sint a Christo: » et concordat c. *Pervenit* 11, dist. 3. *De consecr.* ex Greg. I, lib. xi, epist. 3.

(7. Nec sine rationibus et mysteriis fuit ab Ecclesia pro die Sabbati institutus dies Dominicæ, pro quindecim enim rationibus et mysteriis a Deo operatis in tali die, dies Dominicus est institutus dies festus de præcepto, ut notavit eminentissimus cardinalis Ursinus, archiepiscopus Beneventanus, deinde Summus Pontifex sub nomine Bened. XIII, in suis doctissimis *Lectioibus supra Exod.*, lect. 29, n. 7, pag. 321, ut ex ipso Clericato in suis *Spicis*, tom. I, verb. *Dominica*, n. 81. Primum igitur mysterium est, quia ipso die Dominico incepit mundi creatio. Secundum est, quia arca Noe ipsa die se stetit supra montes Armeniæ. Tertium est, quia ipsa die Hebræi a Pharaone fugientes mare Rubrum siccis pedibus transierunt. Quartum est, quia ipsa die manna e celo cecidit in deserto pro Hebræorum victu. Quintum est, quia ipsa die natus est Christus Dominus mundi redemptor. Sextum est, quia ipsa die stella tribus magis apparuit. Septimum est, quia tali die Christus Jesus baptizatus est in Jordane. Octavum est, quia dicta die Christus aquam in vinum convertit in nuptiis Canæ Galilææ. Nonum est, quia ipsa die Christus Jesus satiavit quinque millia hominum quinque panibus, et duobus piscibus in deserto. Decimum est, quia dicta die Christus a turbis cum psalmis summo honore exceptus est in Jerusalem. Undecimum est, quia Christus Jesus tali die gloriose a mortuis resurrexit. Duodecimum est, quia ipsa die apparuit apostolis, quando ipsos in episcopos ordinavit. Tertium decimum est, quia dicta die Christus Dominus misit apostolos prædicare fidem in universum mundum. Quartum decimum est, quia Spiritus sanctus descendit supra apostolos Dominica Pentecostes. Quintum decimum est, quia æternus iudex in fine mundi die Dominico venit iudicaturus vivos et mortuos. Hæc sunt motiva et mysteria propter quæ, dicunt supra laudati auctores, sancta Ecclesia diem Dominicum pro die festo haberi voluit. Multi tamen alii

(8) « *Domini resuscitatio* (inquit S. Augustinus, serm. 169, *De verb. Dom.*) consecravit nobis diem Dominicum, qui vocatur Dominicus, quia eo die Dominus resurrexit. » Orientales tamen olim in Ecclesia, etiam Sabbatis, perinde ac Dominicis fe-

doctores expresse negant varia ex prædictis occurrere die Dominico.

(8. Quidquid igitur sit de aliis, certum est principale motivum et mysterium esse gloriosam resurrectionem Domini nostri Jesu Christi (8), intuitu cujus sancti apostoli cœperunt celebrare Pascha die Dominico, ut celebrandum semper esse in concilio Romano sub Victore I, sic fuit statutum: « Decretum est Pascha non decima quarta luna primi mensis, sed potius die Dominico post quartam decimam lunam, et vernale æquinoctium occurrente, prout ab apostolis traditum est, celebrandum esse. » *Vid. verb. PASCHA*, a n. 2 ad 3.

(9. Sabbato, olim, et feria 6 jejunabatur, quia in utroque die mœsti fuerunt apostoli. Innocent. I, epistol. 1, cap. 4, c. *Sabbato* 12, dist. 3, *De consecr.* (10. Item Sabbato olim jejunandum erat ob reverentiam sepulture Domini, *ibid.*

(11. Sabbato magno, id est Sabbato sancto ordinari, seu consecrari potest episcopus; cap. *Dilectionis* 22, dist. 76.

(12. Sabbato sancto Campanæ non possunt pulsari in aliqua Ecclesia, etiamsi regulari, ante pulsationem in Ecclesia cathedrali vel matrice, sub pœna ducatorum centum, Leo X, in concilio *Lateranens.* v, sess. xi, constit. 4, incip. *Deum intra*, § 12, ibi: « Et ut debitus honor matri Ecclesiæ reddatur, tam ipsi fratres, quam alii clerici sæculares etiam super hoc Apostolicæ Sedis privilegio muniti, die Sabbati majoris hebdomadæ, antequam Campanæ cathedralis vel matricis Ecclesiæ pulsaverint, Campanam in Ecclesiis suis pulsare minime possint: contrafacientes pœnam centum ducatorum incurrant. » S. congr. Rit., in *Oriolen.* 11 April. 1601, in *Marsicana* 21 Mart. 1609, in *Venusina* 30 Decemb. 1614 et 14 Novemb. 1615, in *Syracusana* 3 Junii 1617, et in *alia Syracusana Modicæ* 13 Febr. 1619. (13. Tam in Ecclesiis regularibus quam sæcularibus, ex cit. *Constit. Leonis X*, et *citatis decretis*. (14. Etiam in Ecclesiis S. Joannis Hierosolymitani, etiam prope et extra muros existentibus, et etiam in Ecclesiis Confratrum. Sacra Rituum congreg., in *Placentina* 21 Augusti 1604, et in *Meliten.* 6 Dec. 1621. (15. Etiam si adsit Ecclesia collegiata, quæ habeat omnimodam præcedentiam supra matricem. Eadem sacr. congreg. Rit., in *Syracusana Modicæ* 23 Februarii 1619.

(16. Regulares, ratione hujusmodi pulsationis in Sabbato sancto, posse conveniri coram loci ordinario decrevit sacr. congreg. Concilii, in *Capuana* 13 April. 1591. Nisi consuetudo in contrarium esset legitima vel Ecclesiæ multum distarent. Sac. congr. Episcop. et Regul., in *Surrentina* 16 Julii 1601, et postea in *Thelesina* 15 Febr. 1622.

riari, conventusque sacros agere solitos fuisse constat: quam ob causam Asterius Amasenus episcopus in homilia *De repudio Sabbatum diebus Dominicis* jungit.

(17. Sabbato præsertim prohibitum est Christianis inservire Hebræis accendendo eis ignem et lumina, præparando comestibilia, aptando lecta, mundando eorum domos, et hujusmodi. *Vide verb. HEBRÆUS*, n. 19, 123, 184.

(18. Sabbato sancto, sicut et feria v in Cœna Domini non potest ullo modo, et a quocunque dici missa privata, ex decreto sac. Rit. congr. et Clem. XI, die 20 April. 1707, ac ejusdem Pontificis vivæ vocis oraculo 8 Augusti 1713, ac ultimo de mandato ejusdem 1719.

(19. Sabbati diebus abstinentia a carnibus non semper ubique fuit de præcepto. Benedictus XIV, tom. I, constit. 118, incipient. *Jampridem*, § 3, ubi refert exemplum sancti Gregorii VII, qui potius admonens, quam præcipiens hortatus est Christianos, ut Sabbati diebus a carnibus abstinerent. (20. In quo attendenda est consuetudo, ut tradit idem *De synodo diœcesana*, lib. vii, c. 56, n. 7, ex cap. *Consilium*, De observat. jejunior., (21. ubi Innocentius III ab episcopo Bracarensi de illis interrogatus, « qui propter debilitatem in Sabbato carnes sumunt; » rescripsit: « Respondemus, quod super hoc consuetudinem tuæ regionis facias observare. » (22. Et de facto in pluribus Hispaniarum, præcipue Castellæ, Gallæciæ et Majoricæ regnis, ex antiqua consuetudine, cujus originem difficile est divinare, homines vescuntur interioribus extremisque animalium partibus, et in quibusdam Gallicæ diœcesibus, veteri instituto, carnis esus permittitur in Sabbatis, quæ inter diem Natalem Domini ac festum Purificationis B. M.

## SACERDOTIUM, SACERDOS.

## SUMMARIUM.

1. Sacerdotium fuit in omni lege. — 2. Tempore legis naturæ, id est ab Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant filii primogeniti. — 3. Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, constituit Deus summum sacerdotem Aaron fratrem majorem Moysis, et medio Aaron transtulit Deus sacerdotium in tribum Levi. Hinc sacerdotes Hebræi vocabantur levitæ. — 4. Tempore legis gratiæ sacerdotes sunt omnes, et soli illi, qui ab episcopis rite ordinati characterem sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum corpus, et sanguinem Christi, ac remittendi, et retinendi peccata. — 5. Sacerdotium legis veteris commutatum est in novum. — 6. Sacerdotium novæ legis a Christo est institutum. — 7. Sacerdotium in lege novæ est visibile, et externum signum. — 8. Sacerdotium non est nudum ministerium, sed dicit potestatem con-

(1. Sacerdotium fuit in omni lege. Concil. *Trid.*, sess. xxiii, cap. 1, ibi: (2. « Sacrificium et sacerdotium ita Dei ordinatione conjuncta sunt, ut utrumque in omni lege exstiterit. » Tempore legis naturæ, id est ab

(9) S. Augustino vivente (confer ejus epistolam ad Casulanum, n. 21) aliqui hoc Sabbati jejunium a jejuniis repetebant, quod S. Petrus cum Simone Mago certaturus pridie toti Ecclesiæ Romanæ indixisse perhibebatur. Adi Thomassinum in *Ebro*

V. interjiciuntur. Idem, in cit. cap. 16, n. 9, et in cit. constit. *Jampridem*, § 3.

(23. Sabbati diebus per annum permittitur esus carniarum in regnis Castellæ, Legionis et Indiarum. Idem in d. constit. *Jampridem*, § 5. (24. Sabbati jejunium in jubileis vel alias indictum, in alium diem transferri conceditur pro Græcis. Idem constit. 75 incip. *Etsi pastoralis*, § 9. (25. Sabbatis Quadragesimæ, excepto Sabbato sancto, Græci non tenentur jejunare, sed tantummodo a carnibus abstinere. Idem, *ibid.*

(26. Sabbatum unicum post Parasceven Ecclesia Orientalis olim jejuniis consecrabat, cætera per annum solemniter sine jejuniis celebrat propter hæresim Marcionis, aliorumque doctentium, jejunandum esse Sabbato in odium Dei Judæorum. Idem, *De synodo diœcesana*, lib. vii, cap. 56, n. 3. (27. In Ecclesia Romana jejunium Sabbati a S. Silvestro stabili lege firmatum fuit. Idem, *ibid.*, n. 4 (9). Hanc autem legem non omnes Ecclesiæ Occidentales secutæ sunt, ideo Bulgaris ad fidem conversis jejunium Sabbati non fuit indictum a Nicolao I, ex quo multæ etiam Ecclesiæ Occidentales talem legem subire detractaverint. Hispaniam hæc Romanæ Ecclesiæ disciplina probabiliter nunquam pervasit. Idem, *ibidem*, n. 6. Imo pedetentim in toto Occidente defecit; quare S. Gregorius VII, abstinentiam a carnibus die Sabbati potius commendavit, quam præceperit in concilio Romano anni 1078, can. 7, relat. *De consecrat.*, dist. 5, can. 31. Idem, *ibid.*, n. 7, et in cit. constitut. *Jampridem*, c. 3.

secrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi, et dimittendi peccata. — 9. Sacerdotalis ordo per Christum coepit a S. Petro. — 10. Sacerdos unde dicitur? — 11. Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablationem characteris. — 12. Sacerdos malus non perdit ordinem. — 13. Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta. — 14. Sacerdotum officia in sacramentorum consecratione, non merita, considerat Deus. — 15. Unde sacramenta sunt bona, etiamsi ministri sint mali. — 16. Boni et mali sacerdotes æque corpus Christi conficiunt. — 17. Sacerdotes tamen quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur. — 18. Unde serio attendere debent sacerdotes, quod de ipsis habetur in c. *Vasa* 44, dist. 1, *De consecr.*, ibi: *Quondam sacerdotes aurei ligniis calicibus utebantur, nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus*; alia notanda ad n. 152.

Adam usque ad Moysen, sacerdotes erant omnes filii primogeniti, qui virtute eorum *Primogenituræ* gaudebant hac commendabili prærogativa et facultate offerendi victimas in sacrificium Domino, ut docent S. Thomas,

*De jejuniis*, et *D. de V. Isle in Gallica jejunii historia*. Ut ut est, Adrianus I, in epistola ad Carolum regem, *Cod. Carol.*, t. I, p. 591, ex *Apostolica Regula Sabbati jejunium accersit.*

2-2, q. 85, art. 2, aliique passim doctores citati et secuti a Clericato, *De sacrificio missæ*, dec. 7, n. 10, quamvis tamen, ut observat Peyrinus in *Genesim.* xxv, 76, et citatus Clericatus in suis *Spiciis*, verb. *Sacerdos*, n. 786, solerent sæpe sæpius genitores concedere sacerdotium et prærogativam offerendi sacrificia Deo etiam filius non primogenitis bonæ indolis et operibus devotionis, et sanctitati deditis, uti cœpit facere ipse Adam cum secundo filio suo Abel intuitu ejus eximie innocentie et pietatis erga Deum, ob quam Dominus respexit ad Abel, et ad viclimas ejus sibi in sacrificium oblatas, a Cain autem, et ad ejus munera non respexit, *Genes.* iv, 4 et 5, ibi: *Et respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Cain vero, et ad munera illius non respexit.*

(3. Tempore legis scriptæ, seu Mosaicæ, constituit Deus summum sacerdotem Aaron fratrem majorem Moysis; erat enim Aaron major Moyse tribus annis; nam cum educti sunt filii Israel de Ægypto, erat Moyses annorum octoginta, et Aaron annorum octoginta trium, ut habetur *Exodi* vii, 7, ibi: *Erat autem Moyses octoginta annorum, et Aaron octoginta trium.* Et ista fuit una de causis, quare Aaron assumpsit summum sacerdotium, et non Moyses: nam summum sacerdotium conveniebat primogenitis, et Aaron erat primogenitus Aram, ut habetur *Exodi* vi: sic expresse Abulensis in *Leviticum*, xvi, 3, vers. *Loquere.* Et medio Aaron transtulit Deus sacerdotium in tribum Levi, jubendo, quod solum illi de dicta tribu *Levitica* essent sui ministri, seu sacerdotes sacrificii addicli, ut habetur *Num.* iii, 5, ibi: *Locutusque est Dominus ad Moysen dicens: Applica tribum Levi, et fac stare in conspectu Aaron sacerdotis, ut ministrent ei;* hinc sacerdotes Hebræi vocabantur levitæ,\* quatenus a Levi originem ducebant, non vero proprie: « Levitæ, inquit Calmet in *Dictionar. Bibl.*, verb. *Levitæ*, quo nomine omnes quidem posterii Levi censentur, potissimum tamen ii, qui vilioribus templi ministeriis destinati sunt, ut a sacerdotibus ex familia Aaronis, per Caath genus a Levi deducuntibus, amplissimis templi muneribus destinatis, distinguerentur\* »

(4. Tempore legis gratiæ sacerdotes sunt omnes, et soli illi, qui ab episcopis rite ordinati characterem sacerdotalem receperunt, quo habent potestatem consecrandi verum corpus et sanguinem Christi, ac remittendi et retinendi peccata. Cap. *Firmiter credimus* 1, De summa Trinitate et fide catholica conc. *Trid.*, sess. xxiii, cap. et canon. 1.

(5. Sacerdotium legis veteris commutatum est in novum. Lib. vi *Constit. Apostol.*, cap. 23; concil. *Trid.*, sess. xxiii, cap. 1.

(6. Sacerdotium novæ legis a Christo est institutum, conc. *Trid.*, sess. xxii, cap. 1, et canon. 2, et sess. xxiii, cap. 1, et canon. 3.

(7. Sacerdotium in lege nova est visibile, et externum signum (id est ordinatio): concil. *Trident.*, sess. xxiii, cap. et canon. 1.

(8. Sacerdotium non est nudum ministerium, sed dicit potestatem consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Christi et dimittendi, et retinendi peccata: conc. *Trid.*, sess. xxiii, cap. et canon. 1.

(9. Sacerdotalis ordo per Christum cœpit a S. Petro. Cap. *In novo* 2, dist. 21.

(10. Sacerdos ita dicitur, quia sacrum dat. Cap. *Cleros* 1, dist. 21, ibi: « Sacerdos autem nomen habet compositum ex Græco et Latino, quasi sacrum dans: sicut enim rex *regendæ*, ita sacerdos a *sacrificando* vocatus est, consecrat enim, et sacrificat. » Et Clericatus, in suis *Spiciis*, loc. cit., num. 801, notat ex Macr., in suo *Hierolexico*, verb. *Sacerdos*, quod hoc verbum *sacerdos* dicitur quasi *sacra dicens*, seu *sacra faciens*, vel *sacra dans*, aut *sacra docens*.

(11. Sacerdos non potest iterum fieri laicus per ablationem characteris. Concil. *Trid.*, sess. xxiii, c. et canon. 4.

(12. Sacerdos malus non perdit ordinem, id est characterem; quantumvis enim peccet graviter, remanet sacerdos cum eadem sua sacerdotali potestate. Concil. *Constantiens.*, contra art. 15 *Wiclefi*, et contra ultim. *Jocann. Huss*: conc. *Trid.*, sess. xiv, cap. 6, canon. 10.

(13. Sacerdos malus adhuc valide conficit sacramenta: malitia enim et immunditia sacerdotum non vitiat sacramenta. Cap. *Nonne Sodomitæ* 37, cap. *Dominus declaravit* 87, c. *Christus* 88, et cap. *Non nocet* 89, caus. 1, q. 1, cum similibus.

(14. Sacerdotum officia in sacramentorum confectione, non merita considerat Deus. Cap. *Cum scriptura* 83, caus. 1, quæst. 1.

(15. Unde sacramenta sunt bona, etiamsi ministri sint mali. Cap. *Si justus* 30, cap. *Ex catholicæ* 31, cap. *Sic autem* 82, et cap. *Nec foris* 33, caus. 1, qu. 1. (16. Boni enim et mali sacerdotes æque corpus Christi conficiunt. Cap. *Intra catholicam* 77, c. *Omnia sacramenta* 78, caus. 1, qu. 1, cum similibus.

(17. Sacerdotes tamen, quanto apud Deum sunt meritis digniores, tanto facilius a Deo exaudiuntur, textu expresso in cap. *Ipsi sacerdotes* 91, caus. 1, q. 1. (18. Unde serio attendere debent sacerdotes, quod de ipsis habetur, in cap. *Vasa* 44, dist. 1, De consecratione, ibi: « Quondam sacerdotes aurei ligneis calicibus utebantur; nunc e contrario lignei sacerdotes aureis utuntur calicibus. »

(19. Hinc sacerdotes, si sint in mortali, debent confiteri, antequam celebrent: concil. *Maguntin.* iv, c. 36; concil. *Trident.*, sess. xiii, c. 7. Quod si desit confessarius, et urgeat necessitas celebrandi, debent elicere actum contritionis, et postea quamprimum confiteri, textu expresso in ipso concilio *Trid.*, cit. sess. xiii, cap. 7.

(20. Sacerdos pollutionem patiens in nocte, debet in mane abstinere a sacrificando, si causata sit a turpi cogitatione ante somnum, vel ab ingluvie, vel si habuit animi concussionem, nisi adsit necessitas celebrandi, textu expresso in c. *Testamentum* 1, dist. 6.

\* Audiatur S. Thomas qui part. iii, qu. 80, art. 7, ubi quærit, utrum nocturna pollutio aliquem impediatur a sumptione sacramenti Eucharistiæ, inquit: « Circa pollutionem nocturnam duo possunt considerari: unum quidem, ratione cuius ex necessitate impeditur hominem a sumptione hujus sacramenti; aliud autem, ratione cuius non ex necessitate impeditur hominem ab hujusmodi sacramenti perceptione, sed ex quadam congruentia: ex necessitate quidem impeditur hominem ab hujus sacramenti perceptione solum peccatum mortale: et quamvis nocturna ipsa pollutio secundum se considerata, peccatum mortale esse non possit, nihilominus tamen ratione suæ causæ quandoque habet peccatum mortale ejus adnexum: et ideo consideranda est causa pollutionis nocturnæ: quandoque enim provenit a causa extrinseca spirituali, scilicet ex dæmonum illusionibus; qui, sicut in prima parte habitum est (qu. 3, art. 3) phantasmata commovere possunt, ex quorum apparitione pollutio interdum subsequitur. Quandoque vero provenit pollutio ex causa intrinseca spirituali, scilicet ex præcedentibus cogitationibus: aliquando autem ex causa intrinseca corporali, vel ex superfluitate, sive debilitate naturæ, sive etiam ex superfluitate cibi vel potus: quælibet autem harum trium causarum potest et sine peccato et cum peccato veniali vel mortali existere: et si quidem sit sine peccato vel cum peccato veniali, non ex necessitate impeditur sumptionem hujus sacramenti; ita scilicet, quod homo sumendo sit reus corporis et sanguinis Domini: si vero sit cum peccato mortali, impeditur ex necessitate. Illusio enim dæmonum quandoque provenit ex præcedenti negligentia præparationis ad devotionem, quæ potest esse et mortale, et veniale peccatum; quandoque vero provenit ex sola nequitia dæmonum, volentium impedire hominem a sumptione hujus sacramenti. Unde legitur in collationibus Patrum, quod cum quidam Frater pateretur pollutionem semper in festis, in quibus erat communicandum; seniores, comperto quod nulla causa ab ipso præcesserat, decreverunt, quod propter hoc a communione non cessaret, et ita cessavit illusio dæmonum. Similiter etiam præcedentes cogitationes lascivæ, quandoque possunt esse omnino sine peccato; puta, cum aliquis causa lectionis vel disputationis cogitur de talibus cogitare: et si hoc sit sine concupiscentia et delectatione, non erunt cogitationes immundæ, sed honestæ; ex quibus tamen pollutio sequi potest, sicut patet ex auctoritate August. supra inducta. Quandoque vero præcedentes cogitationes sunt ex concupiscentia et delectatione, et si adsit consensus, erit peccatum mortale; si autem desit, erit veniale. Similiter etiam et causa corporalis quandoque est sine peccato; puta, cum est ex infirmitate naturæ: unde quidam, etiam in vigilando absque peccato fluxum seminis patiuntur: vel etiam si sit ex superfluitate naturæ: sicut enim contigit sanguinem fluere absque pec-

cato, ita et semen quod est superfluitas sanguinis, secundum philosophum (lib. i *De generat. animalium* cap. 8 et 19). Quandoque vero est cum peccato; puta, cum provenit ex superfluitate cibi vel potus: et hoc etiam potest esse peccatum veniale, vel mortale; licet frequentius peccatum mortale accidat circa turpes cogitationes propter facilitatem consensus, quam circa sumptionem cibi et potus: unde et Greg. (*ubi supra*) scribens August. Anglorum episcopo, dicit cessandum esse a communione, quando ex turpibus cogitationibus provenit; non autem quando provenit ex superfluitate cibi vel potus, præsertim si necessitas adsit. Sic igitur ex causa pollutionis considerari potest, utrum nocturna pollutio impediatur ex necessitate sumptionem hujus sacramenti: ex quadam vero congruentia impeditur quantum, ad duo; quorum unum semper accidit, scilicet quædam fœditas corporalis, cum qua propter reverentiam sacramenti, non decet ad altare accedere (unde et volentes tangere aliquid sacrum, manus lavant), nisi forte talis immunditia sit perpetua vel diuturna, sicut est lepra vel fluxus sanguinis, vel aliquid hujusmodi; aliud autem est evagatio mentis, quæ sequitur pollutionem nocturnam, præcipue quando cum turpi imaginatione contigit: hoc tamen impedimentum, quod ex congruitate provenit, postponi debet propter aliquam necessitatem, puta, ut Greg. dicit (*ubi supra*) cum fortasse aut festus dies exiget, aut exhibere ministerium pro eo quod sacerdos alius deest ipsa necessitas competit\* »

(21. Sacerdos dicens missam, stolam supra utrumque humerum tenere debet: sic etiam quando missam non dicit, et communicat. Concil. *Bracaren.* ii, cap. 4 et cap. *Ecclesiastica* 9, dist. 34.

(22. Sacerdos a semetipso sumit Eucharistiam, si celebrat. Concil. *Trid.*, sess. xiii, c. 8, et canon. 20. (23. Item si non celebret, potest extra missam non tantum pro viatico, aut in necessitate, sed etiam devotionis causa sibi ministrare communionem, si non adsit alius sacerdos, et scandalum absit. Ita Suarez, Vasquez, Fagund., Silvest., Homobon., Boss., Bonacin., Vivald., Diana, Dicastill., Bosco, et alii citati et secuti a La Croix, lib. vi, part. i, n. 481, contra Cajetan.; Armill., Filliuce., Avers. Et ratio est, quia nulla lex id prohibet sacerdoti, imo concilium *Nicænum* ii, id concedit diacono, uti notat Dicastill. d. 11, n. 95.

(24. Sacerdos non consecrans, sub una tantum specie communicat. Conc. *Coloniens.* iii, pag. 7, c. 15.

(25. Si sacerdos in missa post consecratam majorem hostiam, ante consecrationem calicis advertat fuisse appositas minores hostias, seu particulas consecrandas, de quibus intentionem non habuerit, non potest super has minores formam consecrationis repetere. Et ratio est, quia sic poneret duo sacrificia, et eadem die bis celebraret, minores enim hostiæ non haberent se per modum unius hostiæ, vel unius materiæ totalis consecran-

dæ, quia prior consecratio fuisset completa in majore hostia, et minores hostiæ, seu particula terminarent unam totalem consecrationem, neque una harum consecrationum de se esset referibilis ad alteram. Si autem ante consecrationem majoris hostiæ aliquid sciverit de apposis minoribus hostiis, seu particulis, et post dubitet, an intentionem sufficienter ad eas extenderit, et si, dum in corporali ponerentur, eas consecrare intenderit, censetur consecrata ratione intentionis virtualis, absque eo quod repetat formam consecrationis, ut tenent doctores communiter cum Dicastill., d. 2, num. 216; Castropal., part. vi, num. 3; La Croix, lib. vi, part. i, num. 458, et part. ii, num. 243. Si vero minores hostiæ, seu particula, advertente sacerdote, fuerint a sacerista positæ in altari extra corporale et sacerdos dubitet, an habuerit sufficientem intentionem eas consecrandi? debent ipsæ sub conditione consecrari in alia missa, nec potest repeti forma consecrationis in eadem missa propter rationem supra adductam. Sic citati doctores, et alii.

(26. Sacerdos obligatus ad celebrandam missam pro commodo monialium vel confratrum, non potest aliud stipendium recipere applicando alteri eandem missam. Sac. congreg. Concilii, in *Alexandrina* 18 Martii 1719, apud Ursayam, in 1 *Miscellaneo sacro et profano*, litt. S, n. 7.

(27. Sacerdos faciens ab altero celebrari missam cum minori eleemosyna, ac sit illa, quam ipse habuit, peccat mortaliter, non satisfacit suæ obligationi, et tenetur ad restitutionem. Sacra congreg. Concilii, in *Anconitana* 5 Julii 1614, lib. xxiv *Decretor.*, fol. 196; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 8, et tom. IV, part. ii, discept. 22, num. 63, ubi subdit hanc sacræ congregat. resolutionem approbatam fuisse ab Alexandro VII. Insuper incurrit suspensionem Papæ reservatam: Benedicti XIV, constitut. incipient. *Quanta cura*. Vide verb. *ELEEMOSYNA*, n. 64, et magis verb. *MISSA*, art. 2, num. 16.

(28. Sacerdos, cui fuit data eleemosyna pro missa, non potest illam alteri sacerdoti celebrandam dare, aliqua eleemosynæ parte sibi retenta, etiamsi secundus sacerdos id sciat, et contentus sit. Sac. congregat. Concilii, in *Romana Eleemosynæ* 23 Augusti 1664; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 10, et tom. IV, part. ii, disceptat. 22, num. 62. Benedictus XIV, *loc. cit.*, sub pœna dictæ suspensionis. Vide, *loc. cit.*, in priori num.

(29. Sacerdos episcopo inferior non potest in missa adhibere ministrum assistentem, folia Missalis vertentem, calicem tegentem et detegentem, etc. Sacra congreg. Rit., in *Fulginate*. 29 Julii 1720; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 6.

(30. Sacerdos inservire non debet laicis in vilibus officiis, et præcipue mulieribus. Sacra congregat. Episc., in *Epistol. Encycl.*, 19 Martii 1607; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 14.

(31. Sacerdotes inservientes alicui ecclē-

siæ sunt præferendi in funeribus. Rota, in *Compostellana Præminentiarum* 14 Junii 1717, § *Agnoscebant, coram Crispo*, apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 16.

(32. Sacerdos constitutus in ætate annorum xxx, est capax legati relictæ pro studiis legalibus. Sacra congreg. Concilii, in *Romana, seu Nicoteren.* 14 Februarii 1609; apud Ursayam, *loc. cit.*, num. 3.

(33. Sacerdos non potest obtinere lectionem juris civilis sine Apostolica dispensatione. Sac. congreg. Concilii, in *Neapolitana* 19 Mar. 1644; apud Ursayam, *loc. cit.*, n. 9. V. *Addit. Casin.* in fine h. artic.

(34. Sacerdos ordinatus a Papa præfertur sacerdoti ordinato ab episcopo. Fagnan., in c. 1, num. 14, *De majorit. et obedient.*

(35. Sacerdoti, quamvis unico testi, plena fides adhibenda est. Rota, in *Romana officii notariatus* 22 Junii 1722, § *Quod autem, coram Ratto*, apud Ursayam, in 2 *Miscellaneo sacro et profano*, litt. S, num. 2. \* Sacerdos sine causa ad multum tempus non celebrans, imo etiam nunquam celebrans, nequit rationabiliter præsumi malæ vitæ sacerdos, perinde quasi ordinis sacerdotalis exercitium contemneret, adeoque admittendus ab episcopis, tanquam legitimus testis, in foro episcopali, Maraviglia, leg. 339, *Prudentiæ episcopalis* \*.

\* Peccat tamen sacerdos, qui omnino a consecratione absteineat, etiamsi ipsi animarum cura non immineat. « Quidam dixerunt, inquit S. Thomas, part. iii, quæst. 82, art. 10, quod sacerdos potest omnino a consecratione licite abstinere, nisi teneatur ex cura sibi commissa celebrare, et populo sacramenta præbere: sed hoc irrationabiliter dicitur, quia unusquisque tenetur uti gratia sibi data, cum fuerit opportunum, secundum illud 2 ad cor. 5: *Exhortamur, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis*. Opportunitas autem sacrificium offerendi, non solum attenditur per comparisonem ad fideles Christi, quibus oportet sacramenta ministrari, sed principaliter per comparisonem ad Deum, cui consecratione hujus sacramenti sacrificium offertur: unde sacerdoti, etiamsi non habeat curam animarum, non licet omnino a celebratione cessare; sed saltem videtur, quod celebrare teneatur in præcipuis festis, et maxime in illis diebus, in quibus fideles communicare consueverunt. Et hinc est quod *II Machab.* iv, contra quosdam sacerdotes dicitur, quod *jam non circa altaris officia dediti erant, contempto templo, et sacrificiis neglectis*. Confer. Benedictus XIV, *De sacrificio missæ*, lib. iii, c. 1, qui num. 1 hæc habet: Concludendum... non posse sustineri sententiam eorum, qui statuunt venialiter tantum peccare sacerdotem, qui non habens curam animarum, nec aliter astrictus ad missam celebrandam, nunquam per annum celebret. Quapropter S. Pius V ab operibus cardinalis Cajetani propositionem illam jussit expungi, non nisi venialiter peccare sacerdotem non habentem curam animarum, qui nunquam per annum missæ sacrificium offerat, ut ipsi etiam monuimus

edicto 53, et *De canonizat. sanctor.* lib. iii, cap. 27, num. 6. Dicendum etiam non posse cum sacramento confessionis absolvi, qui constituisset animo nunquam per annum missam celebrare; etiamsi id constituisset, propterea quod sæpe in peccatum consuevisset incidere, voluntarium enim peccatum est, et tenetur illud vitare, ut sacrificium missæ possit celebrare, ut docet Azorius, part. i, lib. x, cap. 24, quæst. 1, ubi hæc scribit: « Nec absolverem eum, qui statueret nunquam per totum anni cursum missæ sacrificium facere, nec excusarem eum, qui nunquam per annum sacrificat, quia frequenter peccare solet; peccatum enim est voluntarium, et proinde id cavere et evitare debet, ut digne missæ sacrificium facere et offerre queat: nec etiam eum, qui commode ab excommunicatione absolvi, aut ab irregularitate, qua tenetur, sive impeditur, liberari potest, et id non curat, sive nullam in eo diligentiam ponit. » Dicendum, corruptæ vitæ esse indicium, et parere scandalum, si quis absteineat per totum annum a missa celebranda; ac sacerdotem, qui nunquam per annum sacrificet, gravi se peccato obstringere, ut statuit card. de Lugo, *De sacram. Euchar.*, disp. 20, sect. 1: « Hodie vix posse excusari a gravi sacerdotem non celebrantem per totum annum, quia scandalum grave generat, et indicium est corruptissimæ vitæ. » Denique dicendum circumstantias quasdam posse occurrere, in quibus sub mortali teneatur sacerdos celebrare per annum, etiamsi Dominicis et festis diebus celebret, puta si celebranda missa opus esset, ut infirmo viaticum deferretur \*.

(36. Simplex sacerdos non approbatus non potest absolverè, neque a peccatis venialibus, aut mortalibus alias confessis. Vide verb. *CONFESSARIUS*, art. 1, num. 11 et 12.

(37. Possunt tamen simplices sacerdotes in articulo mortis absolvere, nedum a venialibus, et mortalibus alias confessis, sed insuper a quibusvis casibus et censuris etiam reservatis. Vide, *ib.*, n. 13.

(38. Pro tali casu Ecclesia dat jurisdictionem omnibus sacerdotibus, etiam degradatis, excommunicatis vitandis, irregularibus, apostatis seu hæreticis. Vide, *ibid.*, num. 14. Fagnanus tamen cum multis aliis lib. iv *Decretal.*, capite *Non est vobis* 11, De sponsalibus, num. 1 et sequent., defendit excommunicatum vitandum non posse absolvere, neque in articulo mortis, et ad id adducit declarationem sacræ congregationis Concilii. Unde si ipsa esset authentica, non esset ab ea recedendum. Vide ipsum *ibi*, ubi multa habet ad rem. Vide etiam omnino, quæ recte adducit Albizi apud Tersagum, in *Instruct. confessariorum*, pag. 20, 21 \*, et quæ ex Francisci Mariæ Campioni instructione ad confessarios referunt verb. *Moribundus*, num. 39 et 40, nostramque ad num. 40 *Additionem*.

(39. Talis ampla potestas extenditur ad

(10) Sive auctor Epistolarum S. Clementi I, suppositarum in Mercatoris collectione, auctorque Con-

probabile periculum mortis. Vide, *ibid.*, num. 13.

(40. Simplex sacerdos non potest in tali articulo absolvere, præsentente sacerdote approbato. Vide, *ibid.*, num. 16 et 17.

(41. Sacerdotes superiores sunt sæcularibus. S. Clemens (10), epist. 1, cap. 5, lib. ii *Constitut. Apostolic.*, c. 33.

(42. Imo sacerdotes sunt præstantiores regibus; lib. i *Constitut. Apost.*, cap. 34, *ibi*: « Hos existimate vestros præses, hos putate reges, his quasi regibus vecligalia afferte, eos enim, eorumque domesticos bonis vestris alere debetis. Ut enim Samuel in primo de Regibus libro de rege alendo sanxit populo, et Moyses de sacerdotibus in *Levitico*: sic nos vobis de episcopis sancimus. . . . Siquidem ille militaria tantum administrabat, bello et pace ad custodiam corporis susceptis, hic vero sacerdotium ad honorem Dei administrat, ut pericula ab anima et corpore propulset; quanto ergo anima corpore præstantior est, tanto est sacerdotium regno excellentius, ligat enim aut solvit supplicio, vel remissione dignos. »

(43. Et quod imperium non præsit sacerdotio, sed subsit, et ei obedire teneatur, habetur expresse in cap. *Solita* 6, De majoritat. et obedient., *ibi*: « Potuisses autem prærogativam sacerdotii ex eo potius intelligere, quod dictum est non a quolibet, sed a Deo, non regi, sed sacerdoti, non de regali stirpe, sed de sacerdotali prosapia descendenti, de sacerdotibus videlicet, qui erant in Anathot: *Ecce constitui te super gentes et regna, ut evellas, et dissipas, et ædifices, et plantes. . . . et infra: Præterea nosse debueras, quod fecit Deus duo magna luminaria in firmamento cæli: luminare majus, ut præsesset diei, et luminare minus, ut præsesset nocti; utrumque magnum, sed alterum majus*. Ad firmamentum igitur cæli, hoc est universalis Ecclesiæ, fecit Deus duo magna luminaria, id est duas instituit dignitates, quæ sunt Pontificalis auctoritas et regalis potestas; sed illa, quæ præest diebus, id est spiritualibus, major est: quæ vero carnalibus, minor, ut quanta est inter solem et lunam, tanta inter Pontifices et reges differentia cognoscatur. »

(44. Sacerdotes enim sunt patres et magistri regum et principum, textu expresso in cap. *Quis dubitet* 6, dist. 96, ubi ex Gregorio VII, lib. viii, epistol. 21, habentur præcisa hæc verba: « Quis dubilet sacerdotes Christi, regum et principum, omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insanie esse cognoscitur, si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subjugare, et iniquis obligationibus illum potestati suæ subicere; a quo credit non solum in terra, sed etiam in cælis se ligari posse et solvi? » Et concordant cap. *Benequidem* 1, cap. *Satis evidenter* 7, cap. *In Scripturis* 8, cap. *Duo sunt* 9, cap. *Si impe-*

*stitut. Apostol.*, sub ejusdem S. Pontificis nomine vulgatarum.